

non esset infallibilis, tunc portæ inferi adversus Ecclesiam prævalere possent, eaque immeritò diceretur columna et firmamentum veritatis; siquidem per illos Pastores universa representatur Ecclesia; per eos, tanquam Patres et Magistros docet; fictitium igitur esset non errandi privilegium, à Deo Ecclesiæ promissum; si Pastores per orbem universum diffusi, in falsum aliquod dogma tradendum, tanquam revelatum et necessarium credendum, conspirarent moraliter unanimes.

2°. Christus Apostolis et eorum successoribus ita promittit: *Docete omnes gentes, . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* (*Matth. 28. v. 19 et 20.*) *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (*Joan. 16. 13.*) Atqui hæc promissa suo fraudibuntur effectu, si contingere possit ut moralis Pastorem universitas, extra Concilium generale in tradenda doctrina fidei moribus contraria, consentiat.

3°. Quia ubi Synodis quibusdam particularibus accedit Ecclesiæ dispersæ consensus, efficit ut quod in iis definitum est, fide credendum sit ut patet ex Synodo Arausicanâ secundâ: atqui eum effectum obtinere non posset hujusmodi consensus, nisi esset ab omni erroris periculo tutissimus; ergo, etc.

4°. Hæreses quæ tribus prioribus seculis exortæ sunt; ab autoritate infallibi damnatas fuisse, nemo Catholicus diffitebitur: atqui non aliter damnatæ sunt, quam per unanimum Ecclesiæ dispersæ consensum; ergo consensus ille ab omni erroris periculo est immunis.

5°. Necessè est ut agnoscatur in Ecclesia Judex supremus, infallibilis, vivens, spirans, semper præsens et subsistens, qui exortas de Religione controversias decretorio judicio definire possit: atqui iudicem illud, nec esse Scripturam solam, nec Spiritum privatis quæ credenda sunt revelan-

tom, demonstravimus. Dicit etiam non potest iudicem illud esse solum Concilium generale, quod rarissimè celebratur, et sine quo damnatæ sunt plurimæ hæreses; superest igitur ut iudex suum in Pastoribus tribunal semper præsens ac subsistens habet.



DISSERTATIO V.

De Conciliis.

DE Conciliis sex erunt capita; in primo de eorum definitione, divisione et conditionibus ad Concilium generale requisitis disputabitur; in secundo, cujus sit Concilia convocare, et iis præsidere; in quarto, de eorum utilitate et necessitate; in quinto, de ipsorum autoritate; in sexto, de Principum potestate civili in Conciliis

CAPUT PRIMUM.

De Conciliorum definitione, divisione, et conditionibus ad Concilium generale requisitis.

QUÆRES 1°. quænam sit Conciliorum definitio.

Resp. Concilium rectè definitur *legitima Pastorum, et maximè Episcoporum congregatio, ut ea communi sensu dijudicent, quæ ad fidem, mores*

et disciplinam pertinent. 1^o. Quidem dicitur *legitima congregatio*, quæ scilicet juxta sacros Ecclesiæ Canones et Reipublicæ leges celebratur. Sic distinguitur à conciliabulis, sive conventibus in quibus vel Ecclesiæ Canones, vel Regni leges violarentur. 2^o. Dicitur, *et maximè Episcoporum*, quia necessaria sunt Conciliorum membra, quamvis alii præter eos iis adesse consueverint.

Quæres 2^o. quænam sit Conciliorum divisio.

Resp. Concilia dividuntur in generalia et particularia. *Generalia* sive *Œcumenica* sunt, quæ convocatis ex universo orbe Catholico Episcopi celebrantur; hinc universam Ecclesiam repræsentant. *Particularia* dicuntur, quæ aliquam tantum Ecclesiæ partem exhibent, et triplicis sunt generis. 1^o. *Nationale*, ad quod convocantur omnes unius regni vel nationis Episcopi, præsentibus Patriarchâ, aut Primæte; 2^o. *Provinciale*, in quod conveniunt unius provinciæ Præsules, quibus præest Archiepiscopus; 3^o. *Diæcesanum*, cui sub Episcopo intersunt unius tantum Diæcosis Præsbyteri.

Quæres 3^o. quotuplex requiratur conditio ad Concilium generale propriè dictum.

Resp. Quatuor requiruntur conditiones. 1^o. Ad illud convocandi sunt totius Ecclesiæ Episcopi necessaria quippè sunt Concilii membra, quod œcumenicum esse non posset, nisi ad illud omnes invitarentur. Nullus igitur à convocatione excludendus est, nisi fuerit excommunicatus; nullus rejiciendus, si adesse voluerit.

Cave tamen inde concludas, Concilium non posse verè œcumenicum esse, nisi ad illud conveniant omnes totius orbis Episcopi. Plurima enim sunt Concilia, quæ ex unanimi Ecclesiæ consensu habentur ut verè generalia, quamvis nullum reperiatur, cui omnes, et singuli Præsules inter-

fuerint: quinimò certum est; quibusdam in Conciliis quæ generalia agnoscuntur, Episcopos præsentibus, absentibus multò pauciores fuisse; sic, v. g. in secundo Concilio Constantinopolitano generali quinto non adfuisse nisi 165 Præsules; ut igitur Concilium sit verè œcumenicum, satis est convocationem ita generalem fuisse, ut omnibus Ecclesiæ Episcopis innotesceret; et præterea tot adfuisse, ut ceteris absentibus repræsentandis sufficiant, quia Concilium generale universam refert Ecclesiam.

At, inquit, quâ ratione potuerunt non ita multi, in quibusdam Conciliis, Episcopi ceteros omnes repræsentare, eorumque vicem et consensum supplere? Hoc ut intelligatur, observandum est, cum olim cogendæ Synodi generalis occurreret necessitas, hanc fuisse Patriarcharum consuetudinem, ut suos Metropolitanos, aliosque Episcopos sibi subjectos convocarent, qui de rebus in Concilio generali tractandis synodicè staterent Deinde quod omnium consensu statutum fuerat, paucis ad hoc specialiter electis committebatur, ut ad Concilium generale deferrent, et in eo causam Ecclesiæ, omnium nomine, agerent. Sic Leo Patres Chalcedonenses in quarto Concilio congregatos, per suos legatos certiores fecit de Episcoporum Hispaniæ Galliæ, Italiæ consensu qui post celebratas suis in Provinciis Synodos, sancto Leonî suarum Ecclesiarum fidem declaraverant. Hâc itaque ratione fieri potuit, ut Episcopi non adeò multi, universam Ecclesiam repræsentaverint.

2^o. In Concilio quocumque requiritur libertas: nam ubi deest libertas, ibi Pastores, non quod ipsi sentiunt, et a majoribus acceperunt, sed quod vi aut metu ab ipsis extorquetur, pronuntiant: *Nam quæ tormentorum vi, præter priorem sententiam, eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium, sunt placita*, ut ait Athanasius de Liberio,

qui ipsius damnationi subscribere vi coactus fuerat (*Histor. Arianorum, u. 41. Tom. 2. 1. part. pag. 368.*) perspicuum hujus veritatis argumentum, videre est in secunda Pseudo-Synodo Ephesina: ad eam generalis facta fuerat convocatio; adfuerunt sancti Leonis Papæ legati: qui Episcoporum Occidentalium suffragia deferebant: atqui tamen Conciliis verè œcumenicis, eam ob causam non annumeratur, quòd libertate caruerit.

3º. Adhibeatur necesse est diligens rei controrsæ examen: postulat enim rectus ordo, ut nullum de re disputata feratur judicium, nisi mature expensis et ponderatis utrinque rationibus; et quidem eo majori curâ, quo res gravioris est momenti; quid verò gravius esse potest iis causis in quibus de fide et moribus Christianis agitur. Hinc in Concilio Hierosolymitano, magna conquisitio facta est. Præterea ista est Ecclesiæ lex, ut nihil, tanquam revelatum, definiatur, nisi rem ita esse ex Scripturis vel Traditione innotuerit, in quibus continetur quidquid revelatum est. Hinc in omni Conciliis quæ pro verè œcumenicis agnoscuntur, nihil circa fidem pronuntiatum reperias, nisi post exploratas Scripturas et Traditionem.

4º. Ut Concilium sit verè œcumenicum, requiritur saltem moralis Pastorum unanimitas: cum enim Ecclesiam universam representet, necesse est ut declaretur, non alicujus partis Ecclesiæ, sed ipsius universæ Ecclesiæ fides: atqui, nisi in Concilii definitionibus adsit unanimitas moralis, tunc non totius Ecclesiæ, sed partis ejus dumtaxat fides declaratur, ut satis liquet.

At, inquires, si tot requirantur conditiones, ut Concilium verè sit œcumenicum, quo pacto, constare poterit an tale sit, et utrum leges illæ in eo celebrando fuerint observatæ?

Resp. utrum Concilium aliquod sit verè œcumenicum, non posse certò nobis constare, nisi

ex unanimi Ecclesiarum consensu, et approbatione: to tenim, tamque difficiles ea de re moveri possunt quæstiones, ut vix, ac ne vix quidem extricari queant; aliq̄erent an sufficiens fuerit in Concilio Episcoporum numerus, ut totum Ecclesiam representarent; alii disputabunt an Concilium legitime indictum fuerit, an convocati totius orbis Episcopi: de judiciorum libertate, de examinis maturitate et diligentia: de consensu unanimitate innumeræ pullulabunt difficultates; quæ omnia si excutienda sint, priusquam Concilium habeatur ut generale et legitimum, nunquam fortà continget ut illud verè œcumenicum esse certò constet.

Alia igitur ienunda est via quâ, præcisè tot disputationum ambagibus, ad Conciliorum verè œcumenicorum cognitionem pervenire possimus nulla autem illius assequendæ tutior, faciliorque esse potest ratio quàm moraliter unanimis Ecclesiarum consensus et approbatio, ita ut ea tantum Concilia pro generalibus agnoscenda sint, quæ ut talia admittit moraliter concordissima Ecclesiarum autoritas. Si verò non constiterit, aliquod Concilium, tanquam œcumenicum, ab Ecclesiis receptum esse, tunc viri prudentis est à judicio abstinere, donec Ecclesiæ approbatio et consensus accesserint. Ratio est, quòd si gravi aliquo vitio laborasset Concilium, si vel libertatis, vel examinis defectu Ecclesiæ doctrinam labefactasset, undique et semper adversus illud reclamatum esset, ut contigit Ariminensi Synodo, et secundo Concilio Ephesino, quibus reflagari non desierunt Ecclesiæ: nihil autem simile factum reperias erga Concilia quæ ab universa Ecclesia recipiuntur ut œcumenica; ex illa igitur approbatione colligendum est, vel omnia, juxta Ecclesiæ mentem et leges, fuisse peracta in iis Conciliis, vel si quid in hac parte ipsis defuerit, hoc unanimi Ecclesiarum consensu suppleri.

CAPUT II.

*Cujus sit Concilia convocare, et in iis
presidere.*

PROPOSITIO I.

*Conciliorum convocatio ad illum Episcopum, jure
ordinario pertinet, qui inter eos primus est, à
quibus celebrandum est Concilium.*

PROBATUR 1°. In omni societate bene instituta, illius est comitia indicere, qui in ea primum tenet locum, ut perpetuam omnium gentium consuetudine constat: atqui Ecclesia est societas bene instituta; siquidem ab ipso Deo fundata est, ergo jus convocandorum Ecclesie comitiorum ad eum Episcopum, jure ordinario pertinet, qui primus est inter eos à quibus celebrandum est.

Prob. 2°. Huic convocandorum Conciliorum jus competit, ad quem illud Concilia ususque Ecclesie deferunt: atqui facultatem hanc adjudicant Episcopo qui inter Concilii celebrandi membra primatum obtinet, ut patet, tum ex Concilii Antiocheni primi sub Julio I. Papà, canone secundo; Epaonenis anno 517. can. I.; Aurelianensis secundi, anno 533, Can. 2; tum maxime, ex Augustino qui, cum ad Concilium à Victorino, invitaretur rescripsit, ad illud sese conferre non posse, tam propter ægritudinem, et angustias temporis, quam ex eo quòd non satis constaret Victorinum esse inter Episcopos primum, meritoque convocandi Concilii jus sibi vindicare. Præterea, inquit, venerabilis frater, et collega noster Xantippus Togosensis dicit, quòd eum primatus ipse contingat,

contingat, et erga plurimos sic habetur... peto igitur beatitudinem tuam, ut mihi ignoscas, et primò instare digneris, ut inter tuam sanctimoniam, et senem Xantippum concorditer constet, quis vestrum debeat convocare Concilium. (Epist. 59. alias 217.) Quibus ex verbis patet, jam ab Augustini ætate, ad eum Episcopum convocandi Concilii jus pertinere, qui, etc.

Animadveras tamen, Concilium absque illius Principis consensu et licentiâ convocari non posse, in cujus ditione celebrandum est: cum enim publica conventuum celebratio ad regimen exterius pertineat, sine illius autoritate fieri non potest, cui Reipublicæ et regiminis exterioris cura commissa est; eam verò penes Principem esse nemo negaverit.

PROPOSITIO II.

Romani Pontificis est jure ordinario Concilia generalia convocare.

Probatur 1°. Quia ex suprà dictis, ad eum jure ordinario pertinet Conciliorum convocatio, qui inter concilii celebrandi membra primum tenet locum: atqui Romanus Pontifex inter omnes Episcopos, qui ad Concilium generale convenire debet, primatum habet, et quidem jure divino, ut postea probaturi sumus; ergo, etc. 2°. Quia historia comprobatum est, omnia, post octavum, Concilia generalia à Summis Pontificibus fuisse indicta, nemine reclamante, ac per omnes regiones consentiente Ecclesia: atqui si jus indebitum sibi Romani Pontifices arrogassent, ipsis profecto obstitisset Ecclesia, quæ in iis non silet, quæ contra Christi institutionem fiunt. 3°. Quia jus illud est penes Summum Pontificem, quod in ipso agnoverunt, tum Græci, tum Galli, quos in extendendis ulterius, quam par est, privilegii Pontificiis, largiores et faciliores esse nemo sus

picabitur: atqui Concilia generalia convocandi jus Summo Pontifici attribuerunt, tum Græci, tum Galli: sic enim Græci in Synodo Florentinâ ab Eugenio IV coacta declarant: (*Sess. 25.*) *Admissimus privilegia Papæ, præterquam duo, ne convocet Synodum Œcumenicam absque Imperatore et Patriarchis, si veniant.* (*Tom. 13. Conc. Labb. pag. 502 et 503.*) Ibi agnoscunt Græci in Papa Concilii convocandi autoritatem, quamvis intra quosdam limites eam coerceant. Galli autem, præterquam quòd Summo Pontifici Concilia generalia indicenti non semel obtemperârunt, sic interprete Hincmaro, Remensi Archiepiscopo, sententiam suam exhibent: *Synodi.... generales... sine speciali jussione Sedis Apostolicæ regulariter congregari non poterant neque possunt.* (*Opuscul. 33. cap. 20. tom. 2. pag. 456.*)

Scholium.

Annotandum est quosdam esse casus singulares, in quibus ab alio, quàm à Summo Pontifice, convocari possit Concilium generale. Primus est, quando duo, vel plures, de Pontificia dignitate contendunt, quorum nullus ab universa Ecclesia agnoscitur; tunc enim Sedes Apostolica vacare censenda est. Secundus, cum alter ex contententibus in possessione quidem est, sed negat Concilium indicare, ad litem hanc dirimendam. Tertius, si Pontifex manifestè Hæreticus foret, vel Apostata, ita ut adversus ipsum convocanda esset Synodus generalis. Quartus, si Papa, licet Catholicus, tam pertinax esset, ut nequaquam vellet Concilium indicare, cujus celebrationem aperta Ecclesiæ necessitas postularet. Quintus, si captivus esset apud infideles, aut in insaniam versus, vel si Pontificiam dignitatem abjecisset, et tamen tunc urget Concilii convocandi necessitas.

In iis rerum angustiis, juxta communem sen-

tentiam, ab alio quàm à Romano Pontifice convocari potest, et debet Synodus Œcumenica, ut laboranti Ecclesiæ succurratur. Quod nisi licitum esset, Deus Ecclesiæ suæ remedium auxiliumque necessarium invidisset, quod sentire nefas est. Si verò quæsieris à quo, in his temporum articulis, convocari debeat Concilium generale, respondet Duval, Doctor Sorbonicus: *Si contingeret Concilium Œcumenicum Ecclesiæ esse prorsus necessarium, ita ut ejus defectu omnia retro sublapsa ferrentur in Ecclesia, neque induci posset Pontifex, ut illud indiceret, in hoc casu Cardinales possent illud indicare; qui si etiam nollent, Primates diversorum Regnorum possent inter se convenire, et Episcopos sibi subjectos, in unum locum convocare; quibus etiam renuentibus, Episcopi ipsi mutuo horatu in unum locum, ad Ecclesiæ rebus providendum, legitime inter se convenire possent.* (*Part. 4. quæst. 2. pag. 186.*)

PROPOSITIO III.

Principes Christiani, intra Regni vel Imperii sui fines, convocari Concilium jubere possunt, cum id postulant Regni vel Ecclesiæ pax et tranquillitas.

Probatur 1°. Principes Christiani sunt Ecclesiæ defensores: atqui sub illo respectu tenentur providere, quantum in se est, ut fides et Religio integra permaneat, utque pax et tranquillitas in Ecclesia retineatur: si enim Principibus, quatenus sunt Principes, munus et officium incumbit pacis et tranquillitatis in Republica servandæ, ipsorum est etiam, quatenus sunt Christiani, Religionis fideique defensores, Ecclesiarum paci, fidei Religionisque incolumitati consulere: atqui sanè Conciliorum convocatio ad hæc omnia præstanda utilis est et necessaria, ut postea demonstrabimus; ergo

nihil obstare potest, quominus eam fieri jubere possint Principes Christiani.

Prob. 2°. Constat Principes Concilia, Episcopis non reclamantibus; non semel convocasse, nec diffidentur adversarii, octo priores Synodos Œcumenicas ab Imperatoribus indictas fuisse. Innumera alia suppetunt exempla. Ut autem de nostris tantum Principibus agam, certum est Concilium Aurelianense primum, anno 511, à Clodoveo indictum esse, ut constat, tum ex Concilii præfatione, in qua testantur Episcopi se convenisse *ex evocatione gloriosissimi Regis Chlotovechi*, tum ex Epistola Synodica ad Clodoveum missa in qua Præsules Regem sic alloquuntur: *Tanta ad Religionis Catholicæ cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut..... Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos, in unum colligi jusseritis.* Synodus Aurelianensis quinta, ann. 549, asserit etiam se à Childeberto Rege fuisse congregatam; quod confirmat Gregorius Turonensis. (*Lib. de vitis Patrum, cap. 6. n. 5.*) Concilium Matisconense primum, ann. 581, testatur se convenisse *ex evocatione Gunthramni Regis.* Alia plurima silemus Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Germaniæ, etc. Concilia, ex quorum actis comprobatur, ea à Regibus et Principibus fuisse indicta. Porro nisi ut convocentur Concilia, saltem præcipere possint Principes, adversus tantam usurpationem reclamasset Ecclesia: atqui tamen ne unum quidem in tanta seculorum serie Episcopum reperias, qui in hujusmodi convocationes insurrexerit, teste D. Ladvocat Doctore Sorbonico, (*Tract. de Concil. pag. 63.*) è quo non pauca decerpimus.

Prob. 3°. ex historia. Certum est Episcopos ipsos non raro postulasse, ut à Principibus Synodi convocarentur: cujus rei testis est sanctus Leo Papa: *Humiliter, inquit, ac sapienter exposcite, ut petitioni nostræ, quæ plenariam indici Synodum postulavimus, clementissimus Imperator dignetur*

annuere. (*Epist. 46. cap. 5. ad Clerum Constantinop.*) Ista sunt etiam ejusdem ad Pulcheriam Augustam verba: *Scriptimus ad gloriosissimum Principem..... de habendo intra Italianum Concilio, ut locus constitueretur et tempus.* (*Epist. 41. cap. 2.*) Sanctus Chrysostomus ad Innocentium I. Summum Pontificem ita scribit: *Obsecrabamus religiosissimum Imperatorem, ut Concilium quo facta hæc punirentur, cogeret:* (*Ep. 1. n. 2. tom. 3. nov. edit. pag. 518.*) atqui profectò verisimile non est, tantos Præsules, et Episcopatum privilegiorum defensores accerrimos, à Principibus Synodorum convocationem petituos fuisse, si in eam nihil juris haberent: alioqui conveniendi licentiam tantum à Principibus postulassent Episcopi; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Episcopi nullum jus habent in Comitiorum civilium convocationem; ergo nec Principes in convocationem Conciliorum.

Resp. Neg. consequ. et parit. Conventus enim Ecclesiastici, qui cum publico solemnique apparatu celebrantur, cum ad exterius Reipublicæ regimen pertineant, eorum Principum autoritati subjiciuntur, quibus Reipublicæ cura commissa est: nam, ut egregiè observat D. de Marca, *jus regium versatur in politia exteriori, et in protectione Ecclesiæ;* contra verò comitia civilia ad Episcopos et Ecclesiæ Pastores nullo modo spectant. Præterea Episcopi Principibus in iis omnibus subditi sunt, quæ ad civilem exterioremque Reipublicæ administrationem pertinent; contra verò Principes in rebus merè spiritualibus, non verò in aliis, sunt Episcopis subjecti.

Obj. 2°. Illa potestas Principibus gratis tribuitur, quæ nullis nititur Scripturæ testimoniis; atqui potestas quæ Principibus adscribitur, nullis, etc. Innumera verò sunt Scripturæ loca, ex quibus apertum est Episcopos esse Principum Christiano-

rum Pastores. Porro, inquit Bellarminus, quis non videt, ovi-ne conveniet congregare Pastores, an Pastori potius congregare oves? (de Conc. et Eccles. lib. 1. cap. 12.) ergo, etc.

Resp. Neg. min. Sic enim jubet Christus: *Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.* (Marc. 12. 17.) *Omnis anima, inquit Apostolus, Potestatibus sublimioribus subdita sit. . . . Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit:* (Rom. 13. v. 1. et 3.) ex quibus verbis manifestum est, Principibus in iis omnibus obsequendum esse, quæ nec Legi divinæ, nec utilitati Ecclesiæ adversantur: atqui ubi alicujus Concilii celebrationem postulant Ecclesiæ aut Reipublicæ pax et tranquillitas, tunc sanè ejus convocatio à Principibus præscripta, nec Legi divinæ, nec Ecclesiæ utilitati opponitur, ut res per se patet; ergo si in hujusmodi circumstantiis, jubeant Principes Episcopos sibi subditos Concilium convocare, tenentur ex Scripturis obtemperare.

Quæ autem objicitur à Bellarmino Pastorum et ovium comparatio, ea in præsentia quæstione nullius est momenti: neque enim Principes sunt Episcoporum oves in rebus quæ non sunt merè spirituales; alioqui sequeretur Episcopis jus competere convocandorum Principum, quod prorsus ridiculum est: atqui Conciliorum convocatio, qualis fieri solet, ut jam diximus, non est merè spiritualis, siquidem ad exteriorem Reipublicæ administrationem pertinet; ergo, etc.

Obj. 3°. Ex eo quod Ecclesia. adversus Conciliorum convocationes à Principibus factas, non reclamaverit, concluditur jus ipsis competere ea convocandi: atqui illud perperam concluditur; siquidem Ecclesia gravissimas non reclamandi causas habuit. 1°. Scilicèt cum Imperatores ad fidem Christianam adducti, in Ecclesiæ bonum conspirare cœperunt, et Synodos, exigente necessitate, convocare noluerunt Pontifices de cogen-

darum Synodorum jure cum Imperatoribus contendere; satis enim illis erat Ecclesiæ bono provideri à quocumque, et importuna contentio bonum illud impedisset. 2°. Quia, primis Ecclesiæ seculis, Concilia generalia Principum liberalitate cogebantur, nec tantis sumptibus faciendis pares erant, ob suam paupertatem, Ecclesiæ.

Resp. Neg. min. 1°. Conciliorum utilitas afferri non potest, tanquam causa legitima, propter quam Episcopi non reclamaverint: ignorare enim non poterant, plurimos Principes Christianos, pravo consilio, et in Ecclesiæ perniciem, Concilia indixisse; qualia fuerunt ea pene omnia, quæ à Constantio, Valente, Hunnerico, et aliis adversus Catholicos convocata sunt. Porro si Principes in Synodorum convocationem nullum jus habuissent, tunc saltem reclamare, juraque Episcopalia defendere tenebantur Episcopi: atqui tamen nullus unquam adversus prædictas convocationes, à Principibus hæreticis factas, reclamavit. Quod certò argumentum est manifestissimum, Episcopos olim in ea fuisse sententia, quòd jus Principibus competere Synodos convocandi.

2°. Quarto seculo, ubi primùm Concilia à Principibus Christianis indicta sunt, potuerunt ab Ecclesiis sumptus fieri, qui ad ea celebranda sunt necessarii. Hic testem appello ipsum Liberium Papam: cum enim ut convocaretur Concilium postularet, et Epictetus Episcopus objiceret Imperatorem non posse ea suppeditare, quæ ad cogendam Synodum erant necessaria: *Negotia Ecclesiastica publicam vecturam non desiderant, ait Liberius, quandoquidem Ecclesiæ Episcopos suos à mari usque ad mare deducendi satis habent facultatum.* (Tom. 2. Conc. Labb. pag. 778.) Prætereà esto Ecclesiæ ad finem usque seculi quinti paupertate laboraverint; sed constat eas amplissimis opibus auctas fuisse seculis sexto, septimo, octavo: atqui tamen plurimas à Principibus tunc

convocatas esse Synodos, certum est. Cur ergo his convocationibus non obstiterent Episcopi, nisi quia ipsis persuasum erat penes Principem esse jus Synodos convocandi?

Quod spectat ad jus in Conciliis præsidendi, ad eum etiam pertinet Episcopum, qui Synodum convocandi facultatem habet, qui scilicet inter Præsules Concilium adituros, primum tenet gradum; idque iisdem nititur rationibus, atque usu et consuetudine Ecclesiæ.

CAPUT III.

De jure suffragii definitivi in Conciliis.

SUFFRAGII definitivi jus est potestas de re aliqua cum autoritate statuendi et pronuntiandi, solisque iudicibus competit. Observandum est autem ea quæ in Conciliis tractantur, duplicis esse generis: alia ad fidem pertinent, et merè sunt Ecclesiastica; alia verò sunt mixta, id est, ad civilem etiam administrationem spectant, ut sepulturæ, matrimonii impedimenta, et cætera hujusmodi. Hic de solis rebus fidei et merè spiritualibus agitur.

Pseudo-Reformati, statim atque adversus Ecclesiam vexillum erexerunt, ut adulatione suos facerent Laicos, quos veritate non poterant ad se pertrahere, docuerunt fidelem quemque, etiam Laicum, jus suffragii definitivi in Conciliis habere. Contra quos sit.



PROPOSITIO.

Fide certum est Laicos, cujuscumque sint ordinis, et dignitatis, in Conciliis non habere jus suffragii definitivi, ubi de rebus fidei, et merè spiritualibus agitur.

Probatur 1^o. ex Scriptura: in Conciliis ubi de pertractandis rebus Fidei, merèque spiritualibus agitur, illi soli jus habent suffragii definitivi, qui à Christo constituti sunt controversiarum ad fidem et mores pertinentium iudices; quibus privilegium non errandi, in definienda morum fideique doctrinâ, concessum est; qui Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei: atqui nihil horum sibi vindicare possunt Laici; sed omnia hæc privilegia ad Pastores spectant, quibus dictum est; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* (*Matth. cap. 28.*) *Ego rogabo Patrem, et alium paraclatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;... et surget vobis omnia quæcumque dixerò vobis.* (*Joan. 14. v. 16. 26.*) *Christus dedit... Pastores et Doctores, ... ut non circumferamur omni vento doctrinæ* (*Ephes. 4. v. 11. et 14.*) *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* (*Act. 20. 28.*)

Prob. 2^o. ex perpetua Ecclesiæ consuetudine: in omnibus Conciliis, quæ à temporibus Apostolorum, ad nostram usque ætatem celebrata sunt, non Laici, sed Pastores in rebus merè spiritualibus suffragium definitivum habuerunt; sic v.g. in Concilio Nicæno, non ab Imperatore Constantino, aliisque Laicis, sed à Pastoribus anathemato percussus Arius: quod in omnibus aliis Synodis tam constanter observatum est, ut nulla afferri possit, in qua Laici de rebus fidei, aut merè spiritualibus judicaverint: atqui perpetua hic Ec-

clesiæ usus fictitium illud Laicorum jus omninò subvertit; Ecclesia enim ita turpiter errare non potest, ut contra Christi institutum constanter agat: atqui tamen hoc nefas centies admisisset, si Laici tali jure gauderent; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Causa communis ab omnibus tractari debet, juxta regulam 29. juris in 6; *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*: atqui causa fidei omnibus Laicis communis est; ergo, etc.

Resp. 1^o. Neg. maj. Si quod enim omnium et singulorum interest, ab omnibus et singulis tractari debeat, sequeretur non viris duntaxat Laicis, sed et ipsis mulieribus, competere jus causas fidei in conciliis definiendi, si quidem non viris solis sed et mulieribus, communis est causa fidei: atqui tamen nemo sanus jus illud mulieribus adscripserit; itaque, licet omnium intersit fides, non ab omnibus tamen tractanda est; sed tantum ab his, quibus id muneris concessit Christus: atqui Pastores eam facultatem à Christo acceperunt, quibus dictum est, non autem Laicis: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* (Luc. 10. 16.)

Resp. 2^o. Dist. maj. Quando ad omnes eodem modo pertinet, conc. maj. diverso modo, neg. maj.

Porrò causa fidei ad omnes pertinet, sed modo longè dissimili; ad Pastores scilicet, ut Magistros; ad Laicos verò, ut oves et discipulos: atqui non ovium et discipulorum sed Pastorum et Magistrorum est, pascere et docere; ergo, etc.

Obj. 2^o. Eam tantum ob causam, jus habent Pastores de rebus fidei tractandi, quòd scientià et scientià Laicis præstare soleant: atqui non pauci sunt Laici, ipsis Pastoribus doctiores et sapientiores; ergo jus habent in conciliis de rebus fidei judicandi, non secus ac Episcopi.

Resp. neg. maj. Scientia enim et sapientia,

aliæque præclaræ animi dotes non sufficiunt ut aliquis de rebus fidei, sive in Conciliis, sive extra Concilia, pronuntiandi et judicandi potestatem habeat; sed præterea requiritur jurisdictio, munus, dignitas et officium judicis. Nonne quosdam reperias jurisperitos et causidicos, nonnullis Senatoribus et Consiliariis longè doctiores et sapientiores? Atqui non idcirco sibi autoritatem judicandi arrogare possunt, nisi magistratûs dignitas et jurisdictio accesserit. Idem in causa fidei de Laicis, etiam doctissimis et peritissimis, dicendum est: atqui Laicis, quicumque sint, nulla in causis fidei à Christo commissa est judicis dignitas, nulla jurisdictio, per quam solam fidelibus imponi lex potest, rebus definitis obsequium præstandi. Id non semel professi sunt ipmet principes Christiani: sic enim habet in sua ad Ephesinum Concilium Epistola Theodosius Junior: *Candidianum Comitem.....ad sacram vestram Synodum abire jussumus; sed eâ lege et conditione, ut cum questionibus et controversiis quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat.* (Tom. I. Conc. Hard. pag. 1346.) Atqui si Laici facultatem de rebus fidei judicandi accipissent à Christo, maxime Christiani principes, ut fatentur adversarii, ergo, etc.

Obj. 3^o. Concilium generale universam representat Ecclesiam; atqui eam representare non potest, nisi constet etiam ex Laicis, qui suffragium habeant definitivum; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Quemadmodum enim tota Respublica, tota natio, tota societas, per suos Magistratus et Principes representatur, et cum aliquid à Principibus et Magistratibus decernitur, illud à Republicâ et gente decretum et statutum dicitur et censetur: sic etiam universa Ecclesia in suis Principibus et Magistratibus, id est, Pastoribus exhibetur, et quidquid ex moraliter unanimi ipsorum consensu definitur, illud ab Ec-

clesia constitutum merito dicitur. Nonne Eusebius in vita Constantini Concilium Nicænum vocat *conventum orbis terrarum*? Nonne Augustinus ejusdem Synodi decreta appellat *consensum totius Ecclesiæ* (*Lib. 1. de Bapr. cap. 18. n. 28.*) existimabant igitur, in Concilio Nicæno universam Ecclesiam fuisse repræsentatam: atqui tamen ex omnibus scriptoribus constat, non Laicos, at Ecclesiæ Præpositos, tanquam fidei iudices, huic Concilio interfuisse; ergo minimè necesse est, Laicos in Conciliis generalibus adesse, suffragiumque definitivum ipsis tribuere, ut illa Concilia universam referant Ecclesiam.

Obj. 4°. In Concilio Hierosolymitano, quod aliorum omnium forma et exemplar fuit, Laici suffragium definitivum habuerunt. Sic enim Græcè inscribitur: *Apostoli, seniores et fratres, etc.* (*Act. 15.*) Porrò à *senioribus* Præbyteri, à *fratribus* verò Laici designantur; ergo etc.

Resp. 1°. Hodierno textui Græco anteferendam esse nostram versionem Vulgatam, quæ sic habet: *Apostoli et seniores fratres*, ita ut inter seniores et fratres nulla sit distinctio, sed iidem omninò intelligantur. Ita legendum esse plurimæ persuadent rationes 1°. Quia vulgatæ versionis lectio in multis reperitur antiquioribus manuscriptis Codicibus Græcis. 2°. Quia Paulus et Barnabas missi dicuntur *ad Apostolos et Presbyteros*, nulla Laicorum, sive *fratrum*, factâ mentione. (*ibid. 2.*) 3°. *Convenierunt Apostoli et seniores*; (*ibid. v. 6.*) ibi pariter de *fratribus* siletur. 4°. Quia Paulus et Silas præcipiunt servari *dogmata quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus.* (*ibid. cap. 16. v. 4.*) Hic etiam de *fratribus* ne unum quidem occurrit verbulum; in textum igitur Græcum hodiernum aliquid mendii irrepsit.

Resp. 2°. Etiam si adversariis concederetur sinceram et genuinam esse hodierni textus Græci lectionem, inde concludi non posset Laicos in

Apostolico Concilio suffragium habuisse definitivum. Nam juxta S. Lucæ narrationem, *ad Apostolos et Præbyteros*, sive seniores, defertur controversia, (*ibid. v. 2.*) ad eam definiendam soli conveniunt et loquuntur. Concilii decreta vocantur *tum præcepta Apostolorum et seniorum*; (*ibid. v. 41.*) *tum dogmata quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus.* (*ibid. cap. 16. v. 6.*) Unde patet Laicos, si Concilio adfuerint, ibi non interfuisse, nisi ut audirent, non ut judicarent; ut decretis obsequerentur, non verò ut quidquam decernerent.

CAPUT IV

De Conciliorum necessitate.

HIC non agitur de physicâ, ut aiunt, et absolutâ necessitate, quasi non possit Ecclesia sine Conciliis servari incolumis; sed eo sensu necessaria dicimus Concilia, quod iis sublatis, juxta ordinariam Dei providentiam, stare nequeat optimum Ecclesiæ regimen: ita accipienda est sequens.

PROPOSITIO.

Conciliorum celebratio ad optimum Ecclesiæ regimen necessaria est.

Probatur 1°. quia in Conciliis specialiter adfuturum se promisit Christus: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* (*Matth. 18. 20.*) Hunc enim locum de Conciliis intelligunt Synodus Chalcedonensis in Epist. ad Leonem, et aliæ multæ. 2°. Concilium Constantiense (*Sess. 39.*) hæc habet *Frequens Concilia-*

rum generalium celebratio agri dominici præcipua cultura est, quæ vepres, spinas et tribulos hæreseum errorum et schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, et vineam Domini ad frugem uberimæ fertilitatis adducit: illorum verò neglectus præmissa disseminat, atque fovet. Hæc præteritorum temporum recordatio et presentium consideratio ante oculos ponunt.

Unde sic: Illud ad optimum Ecclesiæ regimen merito censetur necessarium, quod agri dominici præcipua cultura est, cujusque neglectus hæreses, errores, schismata, excessus disseminat et fovet: atqui talia sunt Concilia; ergo, etc.

3^o. Id, tanquam necessarium habuit Ecclesia, quod ubique, quod constanter observavit: atqui ab ætate Apostolorum, ad nostra usque tempora, in omnibus Ecclesiæ Catholicæ, sive orbis terrarum partibus, innumera celebrata sunt Concilia, ad fidem stabiliendam, hæreses debellandas, mores reformandos, disciplinam vel instituendam vel restituendam, ut patet tum ex Conciliorum collectionibus, tum ex Historia Ecclesiastica, sanctorumque Patrum scriptis; ergo, etc.

Prob. 2^o. Quin Ecclesia Synodos ad fidei, morum, disciplinæque integritatem necessarias duxerit, dubitari non potest, si duo certa sint; 1^o. Conciliorum intermissioni Canones vitia tribuere, quæ in Ecclesiam irrepsere; 2^o. eosdem Canones decernere, ut ab aliarum Ecclesiarum communionem arceantur Episcopi, qui citra gravem legitimamque causam à conciliis abfuerint: cum enim jure, tum naturali, tum divino, teneantur Præsules à suis Dœcesibus non discedere, nec suas oves deserere; numquid verisimile est per Canones gravissimis sub pœnis præceptum fuisse, ut Episcopi relictis ad tempus suis gregibus ad Synodos convenirent, nisi eas optimo Ecclesiæ regimini necessarias habuissent? Atqui 1^o. certum est sæpissimè conqueri Canones, plurima in Ec-

clesiam, eam ob causam invecata esse mala, quod Concilia non satis frequenter celebrata fuerint. Id patet, tum ex Concilio Constantiensi quod supra protulimus; tum ex aliis multis. *Pervenit ad aures nostras*, ait Chalcedonense, *Œcumenicum quartum, quod in Provinciis à Canonibus statuta Episcoporum Concilia minimè celebrentur, et quod inde multæ quæ correctione opus habent, Ecclesiasticæ res negligantur.* (*Can. 19.*) *Nulla pene res*, inquit Synodus Toletana quarta, *mores ab Ecclesia Christi magis depulsi, quam Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus, ad corrigendos ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt.* (*Can. 3.*) Ergo 1^o. etc.

2^o. Statuunt Canones ab aliarum Ecclesiarum communionem excluendos esse Episcopos qui nullâ causâ legitimâ impediti, à Conciliis abfuerint. Innumera sunt ea de re Decreta, quorum satis erit unum aut alterum proferre. Concilium Carthaginense quintum ann. 401, sic jubet: *Placuit ut, quotiescumque congregandum est Concilium, Episcopi qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliâ graviore necessitate impediuntur, competenter occurrant... quod si non potuerint occurrere... nisi rationem impediti sui... reddiderint, Ecclesiæ suæ communionem debere esse contentos* (*Can. 10.*) Sic etiam minuitur Concilium Arelatense secundum ann. 452. *Si quis Concilio adesse neglexerit, aut cæterum fratrum, antequam Concilium dissolvatur, crediderit deserendum, alienatum se à fratrum communionem cognoscat.* (*Can. 16.*) Eandem penam pronuntiat Synodus Toletana II. ann. 675. *contra absentes à Conciliis Episcopos: Exceptâ, inquit, inevitabili causâ, vel necessitate.* (*Cap. 15.*) Ergo, 2^o. etc. Ergo Conciliorum celebrationem ut necessariam habet Ecclesia.

Dices: Illud necessarium non est, sine quo omnes de fide morumque disciplinâ controversiæ dirimi possunt: atqui omnes hujusmodi contro-

versis, absque Conciliis dirimi possunt, nempe à Summo Pontifice, et Pastoribus per orbem dispersis, quorum eadem est, etiam extra Concilia, autoritas; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Verum quidem est Summo Pontifici cæterisque Ecclesiæ pastoribus, eandem esse ea definiendi autoritatem, quæ ad fidem ac mores pertinent, sive dispersi, sive in Conciliis congregati sint: certum est etiam non semper opus esse Conciliis, maxime cum Ecclesiæ pace et tranquillitate fruatur; sed aliquando Ecclesiæ perturbationibus, dissidiis, schismatibus ita agitur, vel tanta est scandalorum multitudo, tantaque morum corruptela, ut grassantibus malis non aliud suppetat remedium, quam Conciliorum celebratio: in luctuosis scilicet his temporibus, necesse est ut Ecclesiæ suam autoritatem maximo cum splendore exerceat, et modo ad persuadendum aptissimo: atqui, licet Ecclesiæ semper sit veritatis columna et firmamentum, nulli tamen ipsius autoritas splendidius elucet, quam in Conciliis. Longè enim vividius fidelium mentes afficiunt: et commovent numerosi Episcoporum cœtus, et lata post communem definitionem judicia, quam Pastorum seorsim sump-torum, decreta: in comitiis enim Ecclesiasticis, Pastores singuli, aliorum scientiâ et experienciâ utentes, liberius et accuratius quæstiones excutiunt, faciliusque ea remedia detegunt, quibus vitia et scandala tollantur.

Præterea ad dirimendas controversias, aliquando necessaria esse Concilia, non semel confessi sunt ipsimet Summi Pontifices. Innocentius I. v. g. de contumeliis et iniquis insectationibus, quibus vexabatur sanctus Chrysostomus, verba faciens ad Clerum Constantinop. sic interrogat: *Sed quid adversus ista in præsentem faciemus? necessaria erit Synodi cognitio quam jampridem congregandam esse diximus: ea quippè sola est, quæ tempestates he-*

jusmodi sedare possit. (Oper. S. Chrysost. tom. 3. nov. edit. pag. 524.)

Denique, si propter eam quam habent Pastores dispersi autoritatem, Concilia nunquam sunt necessaria, nequicquam igitur ab Apostolis Spiritu Divino afflatis instituta sunt; nequicquam innumera huc usque, cum immensis laboribus et impensis, celebrata fuerunt Concilia; inanes sunt de cogendis Synodis, tot sacri Canones; ridiculæ prorsus sanctorum Patrum querelæ, de Conciliorum neglectu et intermissione; iniqua decreta, quibus in Episcopos, sine gravi causa à Synodis absentes, graviter animadvertitur: atqui hæc omnia nemo sanæ mentis crediderit; ergo fatendum est, aliquando necessaria esse Concilia, nec posse omnes controversias, à Summo Pontifice, Pastoribusque dispersis, satis efficaciter dirimi et componi.

CAPUT V.

De Conciliorum autoritate.

NON eandem esse Conciliorum particularium; ac generalium autoritatem, apud omnes in confesso est. Particularia enim, etiam in his quæ ad fidem pertinent, falli posse, nemo est qui non fateatur; cum tamen ex innumeris Conciliis particularibus, paucissima sint quibus errare contigerit, ipsorum autoritas non levis est ponderis; longè autem graviorem obtinent Concilia generalia, de quibus hic potissimum agimus. Expendemus, 1º. utrum infallibilis sit Synodorum generalium autoritas; 2º. an Concilia verè judicialem, legiferamque autoritatem habeant; 3º. quænam sit illius autoritatis origo.